

quasdam Preces et Orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit; quarum exemplo in his, quae opportuna judicavimus, inhaerentes, aliam de novo formulam, cum his, quae in hac nostra Constitutione praescripta sunt, magis congruentem confecimus et instituimus, quam ab omnibus in posterum usurpari praecipimus, mandantes, hoc ipsum inculcari et injungi in Apostolicis Literis, quae deinceps pro concessione praedictae facultatis Indulgentiae Plenariae moribundis impertiendae, ut praemisimus, expediendae erunt.

Formula igitur, quam pro imperianda Benedictione et Plenaria Indulgentia moribundis Fidelibus applicanda, ut praefertur, in posterum adhibendam esse praescripsimus, talis est:

Modus

a SS. D. N. Benedicto Papa XIV. approbatus

pro opportunitate temporis servandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis constitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.

Benedictio in Articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae unctionis illis Infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu similiter petiissent vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae caeterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis verò, impenitentibus et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet Infirmus, dicat: *Pax huic Domui* etc., ac deinde aegrotum, cubiculum et cir-

cumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Asperges* etc. Quod si Aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si Confessionem non petat, *excitet illum ad eliciendum actum contritionis et de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda et dolores in antecedentis vitae expiationem libenter perferat Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit et mortem ipsam patienter obviandam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur in spem erigens fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam. Postea dicat:*

Ÿ. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit Coelum et Terram.

Antiphona.

Ne reminiscaris Domine delicta Famuli tui (vel Ancillae tuae) neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster etc.

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

Ÿ. Salvum fac servum tuum (vel Ancillam tuam, et sic deinceps).

R. Deus meus sperantem in Te.

Ÿ. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius Famulum tuum N., quam tibi vera Fides et spes christiana

commendant. Visita eum in salutari tuo et per Unigeniti Tui Passionem et Mortem omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui Te Judicem propitiatum inveniat et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor etc. Sacerdos dicat: Misereatur etc. deinde:

Dominus Noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti. Et Ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris etc.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat et ad gaudia sempiterna perducatur. Amen.

Benedicat Te omnipotens Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero Infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

Datum Romae die 5. Apr. 1747.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

(Bull. r. t. XVII. p. 161. Ed. Luxbg.)

b) Habitus.

Accedenti ad Infirmos pro danda benedictione in articulo mortis licet deferre superpelliceum et stolam sine

Licentia parochi in actu benedictionis. S. C. C. 3. Decb. 1718; 7. Decemb. 1720.

30) De Portiuncula.

I. Ecclesia.

Urbanus PP. Octavus.

Paulus V. et Gregorius XV. RR. PP. Praedecessores nostri omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac s. communione refectis, qui FF. Minorum s. Francisci de Observantia ecclesias die 2. Aug. a I. vesp. usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitassent et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad deum preces effudissent, plenariam Indulg. et remissionem peccatorum perpetuo duraturam misericorditer in Domino concesserunt.

Nos autem, ut omnes et singuli utriusque sexus Christifideles vere poenit. et confessi a s. comun. refecti, qui Ecclesias FF. Tertiariarum ubilibet existentes dicta 2. die Aug. a I. vesp. usque ad occasum solis ejus diei visitaverint et ibi oraverint, pariformiter et absque ulla differentia eandem plen. Indulgentiam consequantur, ac si praemissa in ecclesiis FF. Minor. de Observantia peragerent, ap. auctoritate tenore praesentium declaramus, concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud s. Petrum die 13. Jan. 1643.

II. Tempore Jubilaei lucranda.

Innocentius PP. X.

Nos cupientes, ut Ecclesia s. Mariae Angelorum domus Ord. FF. Min. s. Francisci de Observantia prope et extra muros civitatis Assisiensis congruis frequentetur honoribus, ad eam-

que Christifideles eo lubentius accedant, quo exinde spiritualibus gratis se uberius relectos conspexerint tenore praesentium declaramus: *mentis et intentionis nostrae minime fuisse nec esse sub Indulgentiarum suspensione (tempore Jubilaei) Indulgentiam dictam ecclesiam de 2. die Aug. a I. vesp. usque ad occasum solis diei hujusmodi visitantibus ac requisita pro eadem indulgentia consequenda peragentibus concessam comprehendere prout minime comprehendimus nec comprehensam esse in verbo rom. Pontificis attestatur.*

Romae ap. s. Mariam Maj. die 5. Jul. 1650.

Similem declarationem peregit Urbanus VIII. Constit. 15: *Cum nuper etc.* in anno s. 1625.

Innocentius PP. XII.

Nos omnibus utriusque sexus Christifidelibus ad ecclesiam s. Mariae Ang. dom. Ord. FF. s. Fr. de Obs. prope et extra muros civitatis Assisiensis confluentibus, qui illam vere poenitentes et confessi ac s. communionem relecti in quocunque anni die devote visitaverint et ibi pro christ. principum concordia haeresum extirpatione ac s. r. ecclesiae exaltatione pias preces ad deum effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem peccatorum concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 18. Aug. 1695.

(Bull. r. t. VII. 262. Ed. Luxbg.)

III. Tempus et modus lucrandi.

Cum Octava s. Annae Tituli Ecclesiae PP. Capuccin. Novellarae Dioec. Rhegien. incidat in diem 2. Aug., in qua celebratur *in tota Religione Minoritana* sub ritu dupl. maj. festum Dedicat. s. Mariae Angel. cum Indulg.

de Portiuncula et quia minime transferri valeat, petitur, ut in posterum in praefata Ecclesia die 2. Aug. peragi possit in Officio et missa dictae Dedicat. s. Annae. S. C. resp: Petitam gratiam ratione indulgentiarum et populi concursus concedendam esse. n. 4048 die 23. Jun. 1736.

Quoad Indulgentiam plen. de Portiuncula dictam et ad dominicam I. Aug. ex Indulto ap. translata, defunctis etiam applicabilem, notandum est, quod confessio et communio in aliis quidem ecclesiis fieri possit (S. C. I. 8. Julii 1850) ad lucrandam autem indulgentiam requiratur, ut visitetur Ecclesia Ord. s. Francisci, ubi extat, aut juxta specialem privileg. (Pius P. VI. pro Bavaria 17. Febr. 1785) ecclesia paroch., exceptis illis ecclesiis, quae ultra horam ab ecclesia aliqua Ord. Seraph. non abfuerint, etiamsi sint ecclesiae Cathedralis. S. C. I. 16. Novb. 1711 in Eystett.

Indulgentiam autem toties, quoties Ecclesia hujusmodi privilegiata a primis Vesperis usque ad occasum solis diei festi visitatur et ibidem juxta intentionem SS. D. N. oratur, poterit lucrari. S. C. I. 8. Julii 1850.

Reliquae Indulgentiae non possunt obtineri toties quoties eadem die Ecclesia aliqua visitatur. S. C. I. 27. Sept. 1717.

Innocentius PP. XI.

Alias fel. rec. Gregorius XV. omnibus Christifidelibus, qui die 2. Aug. aliquam ex Ecclesiis FFr. Ord. Min. s. Francisci Capuccinorum visitaverint et oraverint plenam indulgentiam concessit.

(Vd. supra: Indulg. de Port. Ecclesia.) —

Nos autem indulgentiam plenariam et remissionem peccatorum Christi-

fidelibus dictas ecclesias visitantibus concessam, etiam *Christifidelium animabus, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per Modum Suffragii applicari posse etiam perpetuo concedimus et indulgemus.*

Datum Romae die 10. Maji 1689.

(Bull. r. t. XI. p. 602.)

Alexd. VIII. constitutione diei 20. Jan. 1690 concessit, ut Indulg. plen. in Ecclesiis Minorum Conventualium die 2. Aug. applicari possit animabus Defunctorum. (Ibid. l. XII. p. 8.)

31) Preces ad intent. SS. D. N. recitandae.

Vd.: Preces (pro indulg. lucrandis); Ind. (visit. Eccles.)

32) Publicatio.

Vd.: Indulg. (Papae. Episcopi)

De prohibitione ad quaestum publicandi Indulg. et confessionalia, vd.: Constitut. Pii V. diei 2. Jan. 1570 in Bull. rom. tom. II. 323 ed. Luxenb.; Constitutio ejusd. PP. Pii V. 4. Non. Jan. 1570 (Ibid. t. X. p. 154.)

33) Quae non derogatur per alias Ecclesiae concessas Indulgentias vel Jubil.?

Vd.: Indulg. alt. (Non derog.); Jubil.

34) Quoties lucrandae?

Vd.: Indulg. de Port. (Tempus etc.); Communio (pro indulg. etc. decr. de 30. Aug. 1847.)

35) In recitatione Officii def., parvi B. V. M. et ps. poenit. et gradual.

Vd.: Off. def.; Altare privil.; Off. parv. B. V. M. (oblig. decr. n. 4631 nota); Off. p. B. V. M. (Approb.); Psalmi grad. (non est oblig.)

36) Regularium.

Paulus PP. V.

I. Cum Cardinales privilegia, concessionem et gratias Religionibus et

Ordinibus concessas diligenter inspexerint et examinaverint, ac eorundem Ordinum Superiores et Officiales pluries audiverint, ac circa easdem Indulgentias varia dubia et incertitudines et confusiones adesse compererint, et ex judicio eorundem etiam Regularium vel aliquorum ex illis nobis proposuerint valde expedire, pro eorum majori securitate et beneficio, ut indulgentias ipsis Religionibus et Ordinibus ad instar, vel per communicationem aut alio modo hactenus concessas annullarem et revocarem, ac alias particulares illis concederem,

II. Nos matura super hoc consultatione praehabita, cupientes personis Regularibus quibuscumque quorumvis Ordinum tam Monasticorum quam Mendicantium spirituale solatium et juvamen afferre, infrascriptas Indulgentias et gratias, quas personis Regularibus intra claustra aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentibus tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus:

III. Omnibus igitur Christifidelibus, qui canonice et juxta ordines cujuslibet Religionis et Constitutiones Apostolicas habitum regularem a legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si verè poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam.

IV. Ac cuilibet Novitio, qui poenitens et confessus ac sacra Communionem relectus, post completum probationis annum professionem emisit, etiam Plenariam.

V. Nec non cuilibet Religioso inter claustra sui Monasterii viventi, qui in festo principali sui Ordinis confessus et sacra Communionem relectus fuerit, aut missam recitans pro Christianorum

Principum concordia, haeresum extirpatione, Romani Pontificis salute ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam Plenariam.

VI. In *cujuslibet vero mortis Articulo*, si pariter vere poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel, quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin autem corde, devote invocaverit, etiam Plenariam.

VII. Qui vero ad *Presbyteratus Ordinem* canonice promotus et confessus *primam Missam* celebrabit, nec non etiam iis Religiosis, qui pariter confessi ac sacra Communione refecti eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam Plenariam.

VIII. Iis vero, qui de suorum Superiorum licentia a negotiis per decem dies alieni in Cella commorabuntur aut ab aliorum conversatione separati in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem et spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum fidei Catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor Novissimorum, Passionis D. N. Jesu Christi et aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum aut vocalium, saltem per duas horas in diem et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem aut annualem vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint aut Missam celebraverint, quoties pro *quolibet praedictorum exercitiorum*, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

IX. Praeterea iidem Religiosi *intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devote visitaverint*, et, ut praefertur, oraverint, consequantur easdem

Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequuntur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent.

X. Omnibus item Religiosis intra claustra ut supra viventibus, qui *quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam* ante Altare eorum Ecclesiae in quolibet die oraverint, quinque Annos et totidem quadragenas.

XI. Iis vero, qui de suorum Superiorum licentia in *itinere existentes aut extra claustra degentes* tanquam Praedicatores et Lectores *quinquies eandem Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam* ante quodlibet Altare similiter dixerint, etiam quinque Annos et totidem quadragenas.

XII. Necnon etiam ejusdem Religiosis, qui *per mensem integrum singulis diebus* spatio mediae horae orationem mentalem fecerint, ac confessi et sacra communione *ultima Dominica mensis* hujusmodi refecti fuerint, sexaginta annos et totidem quadragenas.

XIII. Qui vero contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata ac imperfectiones *in Capitulis Culparum accusabunt et spiritualiter communicabunt et exercitium virtutum facient*, tres Annos et totidem quadragenas.

XIV. Quoties cumque autem de licentia Summi Pontificis aut suorum Superiorum *in ditiones et terras Infidelium aut haereticorum ad concionandum aut Catholicos docendum* vel infideles et haereticos ipsos ad fidem Catholicam convertendum et Ecclesiae gremio reducendum missi fuerint, si poenitentes et confessi ac Sanctissima Communione refecti fuerint vel Missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus sese praeparare valeant, *pro duabus vicibus*, videlicet quando itineri se accingent, et quando in Provinciam, ubi praedicta opera eis

exercenda erunt, ingressi fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus et elargimur.

XV. Et insuper cum *Superior in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono* visitationis progressu instituere voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio *duarum horarum* in *diverso* tempore interfuerint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, Romani Pontificis salute ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione necnon disciplinae et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, si confessi et sacra Communione refecti fuerint aut Missam celebraverint, Plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam et remissionem, ut praefertur, concedimus.

XVI. Volumus autem ut omnes supradictae Indulgentiae et gratiae Religiosis regularibus cujusvis Ordinis tam Monastici quam Mendicantis dumtaxat, ut praefertur, concessae, etiam omnibus Monialibus cujusvis regulae approbatae et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus et perpetuam clausuram servantibus tam Ordinariis locorum quam etiam regularibus cujuscumque Ordinis, regulae et Instituti subjectis suffragentur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

XVII. Caeterum, *omnes et singulas Indulgentias* quibuscumque Ordinibus et Institutis regularibus hujusmodi, etiam Mendicantibus et quibuslibet personis regularibus tam vigore privilegiorum et literarum Apostolicarum, quam vivae vocis oraculo aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac nos et Apostolicam Sedem haecenus concessas, confirmatas, approbatas et

innovatas, auctoritate et tenore praedictis *perpetuo revocamus, cassamus, annullamus*) et abrogamus*, et ad praesentium nostrarum literarum praescriptum reducimus et moderamur.

XVIII. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Maji 1606.

(Bull. r. t. III. p. 229.)

Vd.: *Indulg.* (Infirm.; Terram s.)

37) Rosarii.

Vd.: *Rosarium* (indulg.)

38) SSmum. ad Infirmos Comitantium.

Martinus PP. V.

Profecto vice qualibet eis, qui, dum Corpus Dominicum communicandis deferretur infirmis, illud cum *incenso luminari* praecedendo vel sequendo venerentur, *centum*, et qui tunc illud alias devote fuerint seculi, *quinquaginta dies* de injunctis eis poenitentiis relaxamus.

Datum Romae 26. Maji 1429.

(Bull. r. t. I. p. 308.)

Innocentius PP. XII.

Innocentius XI. Praedecessor Noster omnibus Christifidel. utriusque sexus, qui SSmum., cum ad Infirmos pro Viatico deferretur, devote comitati fuerint ac pro christian. principum concordia, haeresum extirpatione ac s. r. Ecclesiae exaltatione preces effudissent, quacumque vice id egissent, si *cum lumine, septem annos et toti-*

*) Personas substantialia Religionis vota non emittentes non comprehendi in hac indulgentiarum revocatione, vd.: *Constit. Innoc. XI.* die 10. Oct. 1686 (Bull. r. t. XI. p. 503.)

dem quadragenas, si vero sine lumine illud comitati fuissent, quinque annos et quinque quadragenas de injunctis eis poenitentis in Domino relaxavit. (Bull. r. t. XI. p. 235).

Nos autem hanc concessionem approbantes et innovantes omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus ubicunque existentibus, qui legitimo aliquo impedimento detenti, SSmum., cum ad infirmos deferri contigerit, personaliter comitari nequiverint, sed tamen lumen seu facem per alios deferendam miserint, et, ut praefertur, oraverint, quacunque vice id egerint, tres annos et totidem quadragenas de injunctis poenitentis relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 5. Jan. 1695.
(Bull. r. t. VII. p. 252)

Innocentius PP. XII.

Habendo Noi per ispecial Comandamento di Nostro Signore Papa Innocenzo XII. stabilite alcune Regole particolari, da praticarsi nell' uscire del Santissimo Viatico per gl' Infermi indirizzate à musvere i Fedeli à prestare cogl' atti interni del cuore il più devoto ossequio al Venerabilissimo Sacramento dell' Altare, le hà la Santità Sua approvate, e comandatane l'osservanza. In esecuzione dunque degli Ordini di Sua Beatitudine, le habbiamo fatte stampare in un Libretto à parte, affinche servano, non meno d'Istruzione, e norma a' Parochi, che a' Fratelli delle Compagnie a' Deputati delle Parochie, ed ad ogni altro, à cui toccherà d'osservarle. Esortiamo però tutti, così Ecclesiastici, come Laici, che in esecuzione di questo Camandamento di Nostro Signore, vogliano osservare le cose prescritte, quanto più puntualmente sia possibile, e con pronta volontà, ed

affetto divoto verso il Divino Sacramento concorrere colla presenza, colle limosine, e con tutta l' applicazione a promuovere un' Opera di tanta Gloria di Dio Benedetto e di tanto merito per ciascuno; Tanto più, che la Paterna Benignità della Santità Sua hà voluto, per l'aumento d'azione si profittevole, aprire i tesori Ecclesiastici delle quali, insieme colle altre di già concesse da' suoi Predecessori, se ne portano in fine delle dette Regole per intiero le Bolle col nuovo Breve di Nostro Signore, et in piè di questo Editto i Sommarii. Speriamo nella Divina Bontà, che sia per muovere colla Sua Santissima Grazia i Cuori di tutt' i Fedeli, a' procurarne efficacemente, e con santa emulazione, gli avanzamenti del Culto di Sagro Viatico; Affinche l'ottimo esempio di quest' Alma Città, habbia ancora à servire di stimulo all' altre, per crescere sempre più nell' Amore, e nella Venerazione di così Adorando Mistero. Comandiamo dunque, che il presente Editto si affiga ne' luoghi soliti: e che s'habbia da tener' Esposto in tutte le Chiese Parocchiali, negli Oratorii delle lor Compagnie, e nelle Cappelle degli Spedali. Dato nel nostro Palazzo li 2. Febraro 1695.

G. Card. Vicario.

Alessandro Abb. Bonaventura Segr.

Sommario dell' Indulgenze, che guadagnano li Fedeli dell' uno, e l'altro sesso nell' Accompagnamento del Santissimo Viatico.

Chi accompagna il S. Viatico à gl' Infermi con lume acceso, guadagna Anni sette d'Indulgenza, ed altrettante Quarantene.

Chi accompagna senza lume, Anni cinque, ed altrettante Quarantene.

Chi legitimamente impedito, manda la Torcia, ò Candela per altri, ò la consegna in Parocchia, perche sia da

altri portata, Anni tre ed altrettante Quarantene.

Chi similmente impedito, reciterà un Pater Noster et un' Ave Maria, giorni cento d'Indulgenza.

La medesima è concessuta alle Donne, che senza uscire di Caso, dicono similmente un Pater Noster, et un' Ave Maria, pregando il Signore per la Persona Inferma, che si comunica.

Haec indulg. non derogatur per Jubilaeum, vd.: Indulg. infra Jubil. (Quae non cessat?); Jubil.

39) Salutationem Angel. Recitantium.

Benedictus PP. XIII.

Nos omnibus et singulis Christifidelibus vere poenitentibus et confessis a s. communione reffectis, qui mane aut meridie seu vespere ad pulsum Campanae: *Angelus Domini — de Spir. s.: Ecce Ancilla — verbum tuum: Et verbum — in nobis — cum tribus Ave Maria flexis genibus* devote recitaverint et pro Christ. principum concordia, haeresum extirpatione et s. matris Ecclesiae exaltatione preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet mensis dumtaxat, per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, lucrificandam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concedimus.

In reliquis vero anni diebus Christifidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentis relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae die 14. Sept. 1724.
(Bull. r. t. X. p. 236; t. XIII. p. 130.)

Haec indulg. non derogatur per Jubilaeum, vd.: Indulg. infra Jubil. (Quae non cessat?); Jubil.

Clemens PP. XII.

Nos omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui sub horam noctis ad pulsum campanae ps. *De profundis* vel semel orationem Dominicam et salutationem ang. cum V.: *Requiem aet.* etc. in suffragium animarum Christifidel. def. flexis genibus devote recitaverint, quo die egerint, centum dies de debitis poenitentis relaxamus.

Insuper eisdem Christifidelibus vere poenit. et confessis ac s. communione reffectis, qui per annum praemissa peregerint ac pro christ. principum concordia etc. preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet anni dumtaxat per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo lucrificandam indulg. peccatorum suorum et remissionem concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 14. Aug. 1736.
(Bull. r. t. XV. p. 104.)

40) Ad Sepulturam defunctos Comitantium.

Clemens PP. X.

Nos quarumvis Confraternitatum Confratribus et Consororibus sub *Titulo SS. Corp. Chr.* erectarum et in futurum ubicunque locorum canonice erigendarum ex vi Decreti S. C. I. 16. Febr. 1608 emanati, qui et quae cadavera def. Christifidelium, dum ad Sepulturam deferuntur, devote comitati fuerint, quoties id egerint, toties centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentis relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 14. Jan. 1673.
(Bull. r. t. XI. p. 56.)

41) A Surdis mutis lucranda.

Surdi, qui et muti sunt, satisfaciunt pro praescriptis precibus publicis, si

aliis fidelibus in ecclesiis conjuncti interne mentem ad deum elevare conantur; preces vero *privatim praescriptae* a confessariis eorundem in aliqua pia opera commutari possunt.

S. C. I. die 15. Maji 1852.

42) Terram s. visitantium et ibi habitantium FFr.

Clemens PP. X.

Omnia et singula privilegia, concessionem, facultates, indulta, indulgentias, gratias spirit. et temporales s. locis et *illa visitantibus* necnon d. Ord. Quardiano et fratribus ibi degentibus in genere vel in specie concessa, quatenus sint in usu et non sint revocata, sacrisque Canonibus et Constitutionibus ap. ac Concilii Trid. decretis non adversantur tenore praesentium confirmamus et approbamus. Necnon insuper omnibus et singulis eorundem FFr. interpretibus nunc Hierosolymis, Bethlehem et Nazar. existentibus et viventibus in mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac s. Communionem refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen *Jesu* ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem in Domino concedimus et elargimur.

Romae die 11. Jun. 1670.

(Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 298 ed. Luxenb. 1727.)

Vd.: *Constit. Innoc. XI.* die 22. Jun. 1684. (Ibid. t. XI. p. 419.)

43) Viae Crucis.

Vd.: *Via Crucis.*

Stationes quatuordecim viae Crucis erigi possunt a PP. Ord. s. Francisci in omnibus Ecclesiis, et etiam extra ecclesiam in locis publicis et ad id aptis. Requiritur autem praeter con-

sensum parochi, etiam Episcopi licentia in scriptis data. (Bened. XIV. Breve dd. 10. Maji 1742) S. C. J. 30. Julii 1748; 16. Novb. 1828.

Si tabulae ad tempus aut omnes aut nonnullae tollantur pro murorum dealbatione, pro iisdem picturis exornandis, pro meliore dispositione aliave de causa: tunc non amittunt indulgentias, quae non cessant, nisi pereunte materia. S. C. I. 7. Maji 1836.

Numerus indulgentiarum ad singulas Stationes inscribi non debet. S. C. I. 3. Apr. 1731.

Vd.: *Constit. Innoc. XII.* die 5. Decb. 1696.

(Bull. r. t. XII. p. 280. Ed. Luxbg.)

44) Visitatio Ecclesiae.

(Quando non est expos. SSmum.)

V. Fr. Episcopo Wormiensi.

Accepimus in civitate vestra frequenter exponi publice divina Mystera et imperitam multitudinem in eo errore versari, ut arbitretur non lucrari Indulgentias, quae conceduntur Christianis ad Ecclesiam accedentibus, nisi publicae venerationi in iisdem s. aedibus divina Eucharistia proponatur. Tam falsa opinio dissimulari non debet, cum indulgentias assequantur illi, qui omni peccati labe expiati satisfaciunt universis operibus, quae praescribuntur ab eo, qui s. indulgentias elargitus est; quamobrem, si minime praecipiat fidelibus, ut s. mysteria publice exposita venerentur, apertissime constat in errorem maximum adduci eos, qui asserunt indulgentias, quae tribuntur fidelibus Ecclesiam visitantibus, haud comparari nisi s. Eucharistia in ipsa adorationi publicae exhibeatur.

Porro id necessario requiritur ad sequendas eas Indulgentias, quae fidelibus conferuntur, qui deum precantur

in iis ecclesiis, ubi SSmum. spatio continuo 40 hh. expositum publice est; etenim id omnino praecipitur in hac Indulgentia concedenda, quae a 40 horis continuis nomen accepit.

Constit. Bened. XIV. die 16. Apr. 1746.

(Bull. r. t. XVII. p. 17.)

Vd.: *Indulg. (Infirm.)*

INDULGENTIAM.

Ad dubium: Utrum hebdomadarius signari debeat, cum in Off. divino dicit: *Indulg. etc.*, sicut etiam praescribitur in principio missae? S. C. resp.: Congruere, ut fert praxis universalis praesertim Urbis. Die 7. Sept. 1816. *In Tad.* ad 39.

INDULTUM.

a) Explicatio et extensio.

Verba Indulti intelligi, prout jacent, nec ab alio quam a Sede ap. explicari possunt nec quispiam nisi eadem Sedes facultatem habet extendendi Officium concessum de loco ad locum ut ex decr. Urbani VIII. S. R. C. die 15. Sept. 1668.

b) Revocatio variorum Indult.

Clemens PP. VII.

Romanus Pontifex more seduli Pastoris jugiter advigilans, nonnulla, quae a Praedecessoribus suis concessa noscuntur, justis interdum suadentibus causis moderatur, revocat et immutat, sicut conspicit in Domino salubriter expedire.

Itaque omnia et singula infrascripta indulta, facultates et gratias tenore praesentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus et annullamus viribusque et effectu penitus et omnino vacuumus: ac revocata, cassata, sublata, abrogata, irrita et an-

Decreta authentica.

nullata viribusque et effectu vacua esse ac perpetuo fore, neque de caetero cuiquam suffragari posse vel debere decernimus et declaramus.

Indulta autem, Facultates et Gratiae hujusmodi sunt, quae sequuntur, videlicet:

I. Excipiendi Confessiones sive Saecularium sive Regularium etiam Monialium aut aliarum quarumvis personarum in Conventibus, Monasteriis seu Conservatoriis degentium absque expressa Ordinariorum ac Superiorum illorum, ad quos pertinet, facultate; necnon eligendi sibi Confessarium ab iis respective non approbatum.

II. Absolvendi quoscumque sive Saeculares sive Regulares utriusque sexus a peccatis, poenis et censuris, in literis die Coenae Domini quotannis legi et publicari consuetis vel alias Sedi Apostolicae Locorumve Ordinariis aut Superioribus Regularibus quoquomodo reservatis: prout quoque eligendi Confessarium etiam ex legitime ad audiendas Confessiones approbatis, qui a peccatis, poenis ac censuris sic reservatis absolvat.

III. Eximendi seu absolvendi quemlibet ab obligatione denuntiandi in casibus, quibus denunciatio juxta praescriptum Constitutionum Apostolicarum seu alias fieri debet.

IV. Utendi quibuscumque facultatibus, etiam generaliter concessis, quoad alitercumque dictae Sedi vel etiam ipsi Romano Pontifici reservata: sive per eos Majori vel minoribus Poenitentiis attributis, durante Jubilaeo vel Missionum, Exercitiorum Spirituum, Quadragesimae, Adventus aut alio quovis anni tempore; sicuti etiam utendi facultatibus, quae ab Officio Poenitentiarum Apostolicae aliquando impertiri solent.

V. Relaxandi juramenta quaelibet, etiamsi de nullo cujusquam agatur damno seu praejudicio.